

FATA LIVONIÆ

DIE NATALI

AVSPICATISSIMO

SERENISSIMI PRINCIPIS

**ERNESTI AVGVSTI
CONSTANTINI**

DVCIS SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MON-
TIVMANGARIÆ WESTPHALIÆQVE rel.

PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI
CLEMENTISSIMI

IN FLORENTISSIMO CELEBERRIMOQVE GYMNASIO
GVILIELMO-ERNESTINO

CORAM PANEGYRI

SOLEMNITER DECANTATA

A

BALTHASARE BERGMANNO

RIGA - LIVONO

SENEC. EPIST. XL.

*Quæ veritati operam dat oratio, incomposita
esse debet et simplex.*

—————

VINARIÆ MDCCLV & RVYNI MDCCXCIV.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO DOMINO

ERNESTO AVGVSTO

CONSTANTINO

DVCI SAXONIE JVLIACI CLIVIE MON-
TIVM ANGARIÆ ET WESTPHALIE
LANGRAFIO THVRKINGIE MARCHIONI MIS-
NIE PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITI
HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ
ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ
RAVENSTEINII REL.

ACADEMIE SALANÆ

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO

SERENISSIME DVX
PRINCEPS ET DOMINE
CLEMENTISSIME



E compello; TVVM, PRINCEPS CELSISSIME,

nomen

*Principium sanctum carminis esto mei.
En! me Liouonum traxit Vinaria terra
A Musis patriis Gymnasiumque TVVM:
Vt doctrinarum fontes meus hauriat almos,
Atque lari patrio reddere curet eos.
Hinc mihi festa dies, qua non est altera maior,
Quae TIBI natalis, concelebranda fuit.
Fatorum seriem, bona quae Liouonia sensit,
Cantavi; quae nunc carmina sunt TVA.
Quare me facili, precor, ut facis, adspice vultu,
Sumeque clementi munera parua manu,
Nam TV praesidium Musarum, TV decus, atque
Ingens in populo spirat imago TVI.
Vine diu felix, PRINCEPS dulcissime, vine,
Sisque TVIS populis ancora sancta diu!
Iam ciues ad TE tendunt sua brachia, vocem
In caelum tollent, TE veniente. Fauere*

SERENITATI TVAE

Dabam Vinariae ipso die natali
hoc est, IV. Non. Iunii
MDCCLV.

subiectissimo seruo
BALTHASARI BERGMANNO
Riga-Liuono.



ILLVSTRES, SVMMIQVE VIRI,
SVMMEQVE COLENDI,

Temporibus priscis gentiles dicere sueti,
Quod natale solum ducat dulcedine cunctos,
Immemoresque sui mortales non sinat esse.
Edixit Cicero rationem tempore prisco:
Cari sunt, aiens, adfines atque parentes;
Attamen istorum cunctum comprehendit amorem
Dulcis amor patriae; quapropter nullus honestus
Pro patria mortem duram vir ferre recusat.
Contra vir sapiens, SOCRATES, dixisse refertur:
Quicquid ubique vides, caelum, mare, nubila tellus,
Sunt dulces patriæ fines, mea caraque terra.
Quamuis quisque locus vero, quocunque moramur,
Pro patria nostra re vera possit haberi,
Si sumus erepti patriae gremioque parentum:

Indubitata tamen thesis haec est omnibus aequis,
Terra paterna sui quod non sinat immemorem esse,
Haec pariter, quae me dulci sibi iunxit amore,
Absentem cogit calidas assumere flammās,
Illius ac Musa solerti fata referre.
Hinc, Maecenates summi! conor memorare
Factorum seriem, bona quae Liuonia sensit.
Mores et studia et crudelia proelia dicam,
Iusque datum sceleri tandem, populumque ferocem
In sua victrici conuersum viscera dextra,
Cognatasque acies, sancitaque foedera pacis.
Hic meus esto labor; nunc paucis qua ratione
Confieri id possit verbis, audite! docebo,
Ni facti pigeat, difficile hocce videtur.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Post studium rediens, deducam vertice musas
Ex hoc musarum ludo celebrique palaestra.
Primas Musa tibi palmas, Vinaria, profert,
Pectoris inque antro templum tibi marmore ponit.
Quis vestrum nunc dicta negat demittere in aures?
Quin potius vacuas aures, Summe Venerandi,
Vt mihi dicenti tribuatis, quaeso rogoque
Nunc Livonorum res actas audeo iussus

Dicere, quodque status fuerit ius tempore prisco.
Non omnes vero potui cognoscere causas,
Non omnes sortes varias, nec fata remota.
Haecenus obscurae res multae comperiuntur.
Mentio fit tantum, Romanus, Libo vocatus,
In terram hanc quod venerit, aut a Caesare missus,
Aut exul diri, feruentis caede, Neronis,
Aut fugiens Atilae distillans sanguine ferrum.
Libo hic telluri nomen Libonia fecit.
Fertilis est autem campus, nemorosus agellus,
Quo sata laeta regit piscosum flumen amoeno
Littore, quo ciues aequant cum foenore messes.
Est tellus felix pecori, pingui optima tauro.
Iucundi passim curuis anfractibus amnes
Et valles et rura secant labentibus vndis,
Laeta bouum passim spissis armenta cateruis
Lanigerique greges errant, quibus vbera larga.
Aer praeterea constans, ventique salubres.
Terra virum nutrix, et agrorum prospera cultu.
At Liunorum gens qualis tempore prisco,
Non satis adparet, tenebris dum consita res est.
Hoc tantum constat, quod natio libera iure
Adfuerit quondam, venerata idola nefanda.

Ex bibl. univ. Turic.

Liouonum patriam primum petiere Lubeci.
Condere coeperunt Vxkul, castrumque locare,
Quo mox Meinhardus coepit convertere gentes
Ad Christum, primus doctor praesulque sacrorum.
Bertoldus coepit moles attollere Rigae.
Ensiferos equites Albertus voce vocauit
Rigam, ut Christicolas tunc paucos ense tueri
Possent, ac turpem idolorum frangere cultum.
Illi succedens, Albertus nomine, posthaec
Archiepiscopus est factus, dum Papa volebat.
Nunc duplex fatum sensit Liuonia. Namque
Sacri equites primum gesserunt sceptrā; deinde
Ampla sub regum populi ditioe fuere.
Ensiferi primum Liunos sub ditioe
Continuere, simul quos Christo iungere nisi
Sincero cultu, turmae rectore magistro.
Vinnō de Rohrbach princeps turmaeque magister
Primus. Waldmarus, Danorum sceptrā capessens
Rex, tunc Liunos gentiles terga coegit
Vertere, cum caelo caderet signum Danebroge,
Liunos summo percellens vsque timore.
Posthaec ensiferi, sibi non sat roboris esse,
Ducunt; hinc ordo crucifer, cui littora Prussum

Tunc suberant, ac ensiferi componere foedus,
Atque magister tunc regionis praefuit aruis.
Sed Gotthard Kettler, Russorum dum timet arma,
Queis impar fuerat, tradebat scepra Polonis,
Atque illi in propriam sedem Curlandia cessit.
Tunc annos centum Russi Sueci atque Poloni
De Liunorum terra certamina dira
Gesserunt. Omnes agitabat saeva cupido.
Est modus in bello, sunt certi denique fines.
Pax fit. Dyna fluens ambas tunc terminat oras.
Quidquid trans Dynam est, id Suecus possidet omne;
Quidquid cis Dynam est, gaudet tenuisse Polonus.
Sic quinquaginta tenuit nos Suecia felix
Annos. At postquam Carolum dare terga coegit
Russus Pultaiam prope, Petrus, strenuus heros,
Ingenioque celer, veniens mox protinus igni
Vastat agros, ferroque premit, spoliatque colonos,
Munitamque urbem Rigam obsidione cruenta
Cingit, ne miseris abitus spes vlla supersit,
Vndique bombardis nunc obtundentibus aures.
Quae nimio reges ausu deponere gestis,
Gens Sueonum fortis, casum minitaris acerbum.
Debueras meminisse: Deum decernere regna,

Diuinum, formare thronos, solioque mouere.
Sed breuiter : Sueones fortes fortuna relinquit,
Et campum patriae nemorosi montis ad imam
Radicem, ac alto oppidulum spectabile muro
Expugnant Russi, et excelsi verticis arcem,
Non modo natura, sed ab hostibus aggere tutam,
Iam facile cepere manu eitraque laborem.
Per pacem tandem cessit Liuonia Russis;
Quo facto, Petrus nos sub diçione tenebat.
Sed Deus altitonans, qui maximus, optimus, illud
Contulit in melius, quod tristia fata parabant;
Quandoquidem fines, confecta pace, paternos
Russorum imperii tutamen moribus ornat
Rectis, atque suum tribuit ius sponte cuique.
ELISABETHA, Petri magni diuique Propago,
Imperii vasti, TV, quæ iam scepra capessis,
Imperio vasto cuius sapientia regnat,
Imperium vastum cuius nunc arma tuentur,
Post Numen TIBI iam debemus munera pacis
Dulcis, Liunos præstat TVA gratia tutos.
Hinc, quantum possum, supremum Numen adoro,
Nestoreos saluam TE semper seruet in annos.

TRU Saamatukogi